



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Responsiones Scriptæ A Philippo Melanthere Ad Impios Articulos Bauaricæ Inquisitionis

Melanchthon, Philipp

Vvitebergæ

VD16 M 4171

Prima Qvæstio. Quid sit Ecclesia sancta?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36288**

RESPONSIONES  
SCRIPTÆ A PHILIP.  
PO MELANTHONE, AD IM-  
pios articulos Bavaricæ inqui-  
sitionis.

PRIMA QVÆ-  
STIO.

*Quid sit Ecclesia sancta?*

*Respondeo.*

**E**cclēsia in hac vita est cœtus am-  
plectentium Euangelium, & rectè utentium  
Sacramentis, in quo filius Dei per ministe-  
rium Euangelij uerè est efficax, & multos regene-  
rat uoce Euangelij & Spiritu sancto, & facit hæ-  
redes uitæ æternæ, Et sunt in eo coetu multi electi  
& alij non sancti, sed tamen de uera doctrina con-  
sentientes.

Hæc definitio prorsus congruit cum descri-  
ptionibus, quæ sunt in capite 13. Matthæi de semine  
& de sagena. Et hæc Ecclesia dicitur sancta in hac  
uita κατὰ σωτηριολόγιον, quia uerè filius Dei in

ea regnat, & multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto & electa.

Fit autem à principali nuncupatio, & membra sanctificata usitatè nominantur uiua membra Ecclesie. Alij non sancti nominantur mortua membra, si tamen de uera doctrina consentiant. Possunt autem & sancti habere aliquos errores, sed non euercentes fundamentum, id est, articulos fidei, sicut Paulus inquit. Supra fundamentum extruunt alij aurum, alij stipulas. Et cœca ac infœlix arrogantia est, si putamus, nihil in nobis infirmitatis esse, nos nihil ignorare ac omniscios esse.

Quanta caligo fuit in Apostolis, qui quam post resurrectionem uiderant initia noue & eterne uitæ, tamen somniabant regnum politicum, & multi uolebant retineri cultus Leuiticos. Et multa sunt improprie dicta in scriptoribus pijs, ut nix quisquàm etiam tam disertus & tam circumspectus est, ut ubique uitare possit ἀνευλογίας. Sicut apud Cyprianum multa horridè de satisfactionibus Canonicis dicta sunt, ut cum ait, Frustra absolutionem pronounciari non seruanti ritum satisfactionis, Sed sancti sunt dociles, & cedunt rectè monenti. De his dicit Paulus, Infirnum in fide assume. Comedens non abijciat non comedentem, Deus enim assumpsit eum. Qui autem palàm defendunt idola, aut aliquem articulum fidei euer-

tunt,

~~unt, ij non retinent fundamentum. Sicut Papistæ defendentes adorationem panis in circumgestatione, & mercatum Missæ. Item, Inuocationem mortuorum. Item, Delentes doctrinam de fide gratis accipiente remissionem & reconciliationem. Tales blasphemæ etiam si dominantur in Ecclesiâ, tamen nequaquam sunt membra Ecclesiæ, nec uiuæ nec mortuæ, Sed prorsus existimandi sunt esse anathemata, sicut Paulus inquit: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.~~

Respondi igitur clarè, quid sit Ecclesiâ, & qui homines sint Ecclesiâ, & quomodo dicatur sancta. iam dicamus de signis monstrantibus Ecclesiâ, & quomodo sit uisibilis.

I

*Quæ sunt signa monstrantia Ecclesiâ Dei?*

*Respondeo.*

**S**igna tria sunt monstrantia Ecclesiâ, necessaria & uniuersalia, ~~Doctrinæ Euangelij incorrupta professio: Usus sacramentorum conueniens diuinæ institutioni, & obedientia debita ministerio Euangelij.~~ De primo & secundo dicitur:

B

2

Quæ